

test totam legem. Illud quoque : *qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*, non significat, eos esse maledictos, qui legem implendo justificari quærunt, cum dicat idem Apostolus ad Rom. II. *Factores legis justificabuntur*; sed significat, maledictos esse eos, qui suis viribus sine fide et gratia legem implere, et justificari se posse credunt. Nam paulo ante dixerat, eos qui ex fide sunt, benedicendos esse cum fidei Abrahamo, quia scriptum est : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*. Inde opponens fidei opera sine fide, subjungit : *Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*.

Itaque argumentum Apostolicum est hoc : Maledictus est omnis qui non servat totam legem, at nemo potest suis viribus, sine fide et gratia totam legem servare, igitur maledicti sunt omnes illi, qui ex operibus legis sunt, id est, qui suis viribus, sine fide et gratia totam legem servare, et eo modo justificari quærunt. Atque hinc intelligimus id quod sequitur : *Christus nos liberavit de maledicto legis factus pro nobis maledictum*. Non significare, ut adversarii credunt, nos liberatos a lege per non imputationem prævaricationis, sed (ut nos sæpe diximus) nos liberatos a maledicto, quia per Christi fidem et gratiam legem implere possumus et implemus.

Dicit aliquis : Apostolus Paulus loquitur eo loco de lege circumcisionis, non de lege morali, ut nos etiam supradiximus cum ageremus de libertate Christiana : legem autem circumcisionis omnino tollendam, vel sublatam esse contendit : non igitur maledictos eos esse dicit, qui legem non servant ex fide et gratia, sed qui eam quomodocumque servare volunt.

Respondeo : Beatus Paulus in epistola ad Galatas, ut etiam in epistola ad Romanos, duos errores Judaizantium, quorum unus est ratio alterius, refellit. Unus error eorum erat, servandam esse legem circumcisionis, atque aliarum id genus caeremoniarum.

Alter error erat, ideo servandam esse legem circumcisionis, quoniam observatio legis esset necessaria præparatio ad fidem et gratiam Christi, et ideo possent et deberent omnes servare legem, et justificari, ut digni essent Evangelio et promissis Christi. Apostolus igitur contra priorem errorem, dicit legem caeremonialem fuisse quasi pædago-

um, et ad tempus impositam, non esse amplius servandam, et hoc diximus cum ageremus de libertate Christiana. Contra posteriorem errorem, qui perniciosior erat, Apostolus dicit, ex operibus legis sine fide nullam posse esse justitiam, et alioqui Christum gratis mortuum esse, et in hac disputatione contra posteriorem errorem loquitur de omni lege, non solum caeremoniali, sed etiam morali. Nulla enim lex est, quæ sine fide et gratia justificare possit.

Tertia objectio sumitur ex illis verbis Apostoli ad Roman. VII. *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio* (1).

Respondeo : loquitur Apostolus de actu concupiscendi, quem sæpe sentimus, quando etiam non consentimus. Quamvis enim non sit peccatum sentire carnalem concupiscenciam, et non consentire, tamen nollet homo castus eam sentire, et in partem in felicitatis suæ ponit, quod cogatur etiam nolens, carne servire legi peccati. Hinc igitur Apostolus dicit : *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio*. Et : *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Vide Augustinum tract. 41. in Joan. lib. VI. in Julian. cap. 41. et lib. I. ad Bonifacium cap. 10.

Quarta objectio, nemo potest vitare omnia peccata, cum scriptum sit Jacobi II. 3. *In multis offendimus omnes*. Et I Joan. I. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*. At qui legem omnem impleat, nullum haberet omnino peccatum : igitur fieri non potest, ut lex omnis a nobis, etiam cum fide et gratia, impleatur.

Respondeo : Ab hoc argumento, quod valde Kemnitius urget, non tam facile se expediunt, qui concedunt, peccatum veniale esse proprie contra legem, ut Vega lib. XI. in Concilium cap. 20. coguntur enim dicere, legem non esse impossibilem, non quod tota simul servari possit, sed quod servari possit major ejus pars, et a meliori parte fiat denominatio. Sed videndum est illis, quid respondeant Apostolo Jacobo dicenti : *Quicumque totam legem servaverit, offendet autem in uno, factus est omnium reus*.

Solida igitur responsio est, peccata venialia, sine quibus non vivimus, non esse peccata simpliciter, sed imperfecte, et secundum quid, neque esse contra legem, sed præter legem, ut S. Thomas recte docet in 1. 2. quæst. 88. art. 1. hinc enim omnia co-

hærent. Nam qui offendit in uno, prævaricans videlicet unum præceptum, factus est omnium reus, et injustus simpliciter constituitur, et tamen in multis offendimus omnes, quia tametsi nihil facimus contra legem, tamen multa facimus præter legem. Et qui natus est ex Deo non peccat, transgrediendo legem, et tamen si dixerimus, quia peccatum non habemus, nihil videlicet præter legem faciendo, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.

Quinta objectio, Christus Mediator est non solum in prima reconciliatione, sed etiam postea in toto vitæ nostræ tempore, ergo semper egemus intercessione Christi, ac per hoc semper peccamus legemque transgredimur, alioqui post primam reconciliationem Christus otiosus esset. Hoc argumentum commune est Calvino, Philippo, Kemnitio et aliis, qui inde concludunt, si qua est in nobis legis impletio, illam non tam esse operum, quæ respondeant perfectioni legis, quam fidei, quæ perpetuo apprehendit remissionem.

Respondeo : Christus semper nobis Mediator est, nec unquam est otiosus, idque duplici ratione. Primo, quoniam semper nobis vires et gratiam subministrat, per quam bona opera faciamus. Ideo siquidem recte comparavit se ipse viti et nos palmitibus. Ut enim palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, et succum traxerit ex vite, sic nec nos nisi manserimus in Christo, et spiritum hauserimus ex ipso.

Secundo, quoniam peccata nostra, quamvis levia et quotidiana, ipse purgat, et sanguis ejus emundat nos ab omni peccato. Et si forte legem prævaricando a justitia excidamus, ipse nihilominus propitiatio est pro peccatis nostris, et non septies, sed septuagies septies nos Patri reconciliat, si per ejus gratiam conversi serio pœnitentiam agere incipiamus. Itaque non facimus nos, qui legem impleri posse dicimus, Christum Mediatorem otiosum, sed vere faciunt adversarii Christi merita inefficacia, cum docent Christum tam insigni obediencia id efficere non potuisse, ut justificatio legis impleretur in nobis.

Sexta objectio sumitur ex S. Augustino, qui in lib. 1. Retract. cap. 49. sic ait : « Omnia mandata facta deputantur, quando quicquid non sit, ignoscitur ».

Respondeo : loquitur eo loco sanctus Augustinus de summa perfectione implendi præcepta, quam dicit expressam fuisse a Domino per illa verba, Matthæi V. *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant*; quærît autem num hæc perfectio possit haberi in hac vita, et respondet, non posse haberi, nisi in hoc sensu quod omnia mandata facta deputantur, quando quicquid non fit ignoscitur. Nam inter alia mandata implenda est etiam illud, ut oremus : *Dimitte nobis debita nostra*. Ex quo intelligimus eam imperfectionem in lege divina servanda asseri ab Augustino, quæ non sit prævaricatio integri præcepti, sed carentia perfectionis in ipsa legis observatione, quomodo qui scribendo, aut proferendo legem, proferret quidem omnes dictiones et syllabas, sed litterulam, aut litteræ partem aliquam non exprimeret. Hac enim similitudine Dominus usus est, cum non ait, verbum unum, sed *iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant*.

Atque hæc dicta sint ad mentem sancti Augustini in eo testimonio explicandam. Alioqui enim si aperte dixisset Augustinus omnia mandata facta deputantur, quando si quod mandatum violatur, ignoscitur : non deberet, nec posset inde colligi, legem Domini esse impossibilem. Potest enim fieri, ut quis multa mandata integre servaverit, et postea tamen aliquod aliud mandatum non impleat, cujus prævaricationis pœnitentiam agat, et indulgentia impetrata ita salvetur, ac si mandata omnia custodisset.

Addi posset alia objectio ex præceptis : *Diliges, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; et : *Non concupisces*. Hæc enim duo in hac vita impleri non posse probant adversarii ex Augustino et Bernardo. Sed hæc a nobis fuse tractata sunt in lib. 2. de Monachis, cap. 13. et in lib. 2. de peccato originis, qui est quintus de statu peccati, cap. 10. Ideo videntur hoc loco prætermittenda, ne fatigemus nimia repetitione lectorem.

CAPUT XV.

Justorum operæ non esse peccata, sed justitiam, probatur ex divinis litteris.

Nunc veniendum est ad alterum caput hujus controversiæ de veritate justitiæ a-

(1) Rom. VII, 18. — (2) Jacob. III, 2; I Joan. I, 8.

(1) Matth. V, 18.

ctualis, in quo probandum erat, opera bona justorum non esse peccata, sed vere justa, ut etiam justitia actualis dici possint.

Primum igitur testimonium ad hoc probandum sumitur ex libro Job cap. 1. *In omnibus his non peccavit Job labiis suis, nec stultum aliquid contra Deum locutus est* (1). Ubi Scriptura reddit testimonium sancti Job, quod in tanta occasione impatientiæ, ne verbo quidem peccaverit, ac ne forte Lutherani Rabbinos quosdam imitari velint, qui dicunt, Job non peccasse libiis, tamen corde peccasse; audiamus Deum ipsum in 2. capite ita loquentem ad Satanam: *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit illi similis in terra, vir simplex, et rectus, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam* (1)? Certe si innocentiam retinebat, et si a malo recedebat, neque lingua, neque corde peccaverat.

Adde quod cum Satæn nihil aliud quæret tot suis tentationibus, nisi Job ad peccandum inducere, contra autem Deus illa omnia tentamenta permitteret, ut patientia et virtus sancti viri demonstraretur, si Job peccasset, Deus ipse quodammodo a Satana superatus fuisset. Quare certum est, opus illud patientiæ S. Job nullo peccato maculatum fuisse, et Lutheranos, qui id negant, a partibus diaboli contra Deum pugnare.

Secundum testimonium sumi potest in verbis Davidis Psal. VII. *Judica me Domine secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.* Psalm. XVI. *Exaudi Domine justitiam meam. De vultu tuo iudicium meum prodeat. Oculi tui videant æquitatem. Probasti cor meum, et visitasti nocte, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* Psalm. XVII. *Retribuatur mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuatur mihi, quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.* Psalm. XXV. *Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* Psalm. CXVIII. *Feci iudicium, et justitiam, non calumniantur me superbi* (2). In his locis David non solum opera sua justitiæ nomine ornanda censebat, sed etiam confidebat ea in iudicio Dei posse consistere, alioqui petens iudicari secundum justitiam suam, damnationem pro absolute quæsiisset. Igi-

tur David credebat posse hominem cum Dei gratia facere opera vere justa.

Neque vero satisfacit Philippi et Calvini responsio, qui dicunt Davidem non velle in his locis affirmare, opera sua fuisse absolute justa, sed per comparisonem ad opera adversariorum suorum, nec id etiam absolute, sed incerta aliqua causa. Hæc, inquam, responsio non satisfacit, quoniam verba Davidis generalia sunt, atque illa præsertim: *Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.* Item: *Ab omni via mala prohibui pedes meos.* Item: *Feci iudicium et justitiam, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.*

Tertium testimonium, Matth. VI. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Et Luc. XI. *Si ergo corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Hoc loco describitur opus perfecte bonum, quod videlicet sit bonum ex genere suo, et ex intentione, aliisque circumstantiis. Nam oculus simplex, est intentio recta; corpus lucidum, est opus bonum, de quo dicitur Matth. V. *Sic luceat lux vestra, ut videant opera vestra bona etc.* (3). Tale autem opus pronunciat Dominus esse lucidum totum, nec ullam habere partem tenebrarum.

At si illud opus peccatum esset mortale natura sua ut Lutherani dicunt, magnam partem haberet tenebrarum, immo esset tenebrosus totum, ut Dominus ibidem dicit de opere quod mala intentione fœdatur. Sicut enim mala intentio, ita quodlibet aliud vitium reddit opus malum, quamvis ex genere suo bonum esset.

Quartum testimonium ex Apostolo in priore ad Corinth. cap. III. *Si quis superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna fœnum, stipulam, uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet, si cujus opus arserit, detrimentum patietur, etc.* (4). Quoloco indicantur esse quædam opera supra fundamentum veræ fidei ædificata adeo bona, ut nihil omnino habeant vitii. Id enim primum ostendit comparatio ad aurum, argentum, lapides pretiosos.

Deinde quod illa opera in igne divini ju-

(1) Job. I, 22; Job. II, 3. — (2) Psal. VII, 9; ibid. XVI, 2; ibid. XVII, 21; ibid. XXV, 1; ibid. CXVIII, 121. — (3) Matth. VI, 21; Luc. XI, 34. — (4) Mat. V, 16; I Cor. III, 12.

dicii manere dicantur, et mercedem accipere. Certe enim peccata nec aurum dici possunt, nec in divini iudicii igne subsisterent, nec mercedem, sed pœnam, suppliciumque perciperent.

Quintum testimonium ex Jacobo cap. III. *In multis offendimus omnes* (1). Quare, quæso, non dixit, in omnibus offendimus omnes? Nam si omnia opera justorum sunt peccata mortalia, certe non tantum in multis, sed etiam in omnibus offendimus, sed noverat ipse quid diceret. Nam capite secundo distinxerat opera bona a peccatis dicens: *Si legem perficitis regalem secundum Scripturas, diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis: si autem personam accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores* (2).

Sextum testimonium sumitur ex illis locis, quæ hortantur hominem ad non peccandum, Psalm. IV. *Irascimini, et nolite peccare.* Isaia. I. *Quiescite agere perverse, discite bene facere.* Joan. VIII. *Noli amplius peccare.* I ad Corinth. XV. *Evigilate justi, et nolite peccare.* II. Petri. I. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* I Joan. II. *Hæc scribo vobis ut non peccetis* (3). Quorsum enim pertinent hæc cohortationes, vel admonitiones, si in omni opere, quantumvis bono, non possumus non peccare?

Septimum testimonium sumitur ex illis locis, quæ docent opera justorum placere Deo; Malach. III. *Placebit Deo sacrificium Juda et Hierusalem, sicut dies sæculi et sicut anni antiqui.* Sapient. IX. *Sapientia custodiet me in potentia sua, et accepta erunt opera mea.* Actor X. *Qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi.* I Petri II. *Offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo.* Philippens. IV. *Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis in odorem suavitatis hostiam acceptam, placentem Deo* (4). Atqui Deo nihil placere potest, nisi quod est vere bonum et purum ab omni vitio, ut ipse etiam Calvinus fatetur lib. III. Institut. cap. 12, §. 1.

Quod vero idem Calvinus ait, placere Deo ejusmodi opera, non ratione propriæ dignitatis, sed quia Deus per indulgentiam lavat operum fœditatem, omnino est absurdum, nisi forte non solum peccatoribus imputari

velit Christi justitiam, sed ipsis etiam peccatis, quod nullo modo fieri potest. Nam si quis dixerit, Deum ignoscere culpas, non velle punire, non imputare, facile intelligetur; at ipsum peccatum per indulgentiam fieri hostiam placentem Deo in odorem suavitatis, quis tandem intelliget?

Octavum testimonium ex locis illis, quæ absolute justorum opera bona nominant, Matth. V. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in caelis est.* I ad Timoth. VI. *Divitibus præcipe non superbe sapere, divites fieri in operibus bonis.* Tit. III. *Curent operibus bonis, præesse, qui credunt Deo.* Ephes. II. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus* (5).

At si opera omnia justorum essent peccata mortalia, dicenda essent potius mala, quam bona. Nam ut ex Dionysio in cap. 4. de divinis nominibus Theologi colligunt, malum dicitur opus absolute, ex quocumque vitio bonum non dicitur absolute, nisi integre sit bonum. Quomodo igitur Scriptura prædicat absolute opera bona, si non sunt bona, nisi secundum quid, sed absolute et simpliciter mala? Omnino necesse est, ut vel Spiritus sanctus in hac parte fallatur, vel Lutherus et Calvinus erret. Utrum autem horum sit verius, ipsismet sectariis iudicandum relinquo.

CAPUT XVI.

Opera bona non esse peccata, sed vere bona, probatur ex Patribus.

Quod attinet ad testimonia sanctorum Patrum si producere vellemus in medium, quæ illi dicunt in commendationem operum bonorum, nullus esset finis. Solum igitur pauca quædam notabimus, ex quibus colligi possit, agnovisse Patres opera simpliciter bona, atque a peccatis, vere, proprieque distincta.

S. Ambrosius in libro de Apologia David, cap. 6. « Etenim, inquit, quia non potest sine peccato esse humana fragilitas, cavendum est, ne plura peccata sint, quam opera virtutum ». Ubi distinguit aperte S. Ambro-

(1) Jacob. III, 2. — (2) Ibid. II, 8. — (3) Psal. IV, 15; Isai. I, 16; Joan. VIII, 11; I Cor. XV, 34; I Pet. I, 10; I Jo. II, 1. — (4) Mal. III, 4; Sap. IX, 11; Act. X, 35; I Pet. II, 5; Phil. IV, 18. — (5) Mat. V, 16; I Tim. VI, 17; Tit. III, 8; Eph. II, 10.

sus opera virtutum a peccatis, quod non faceret, si existimaret, omnia opera, quantumvis bona, vere esse peccata.

S. Hieronymus lib. III. adversus Pelagianos: «Hoc, inquit, et nos dicimus, posse hominem non peccare si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus est animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cithara». Et infra: «Qui cautus est et timidus, potest ad tempus vitare peccata». Quo loco S. Hieronymus non laborat, ut probet, posse hominem aliqua facere bona, quæ non sint peccata.

Id enim in controversiam nondum venerat, sed nititur contra Pelagianos ostendere vitam humanam, etiam justorum, non ita esse posse perfectam, ut longo tempore caveat omnia peccata, etiam quotidiana et levia. Ubi tamen admittit, saltem aliquanto tempore, posse hominem diligentem ita vivere, ut nullum peccatum, ne veniale quidem admittat, ac per hoc aliqua opera facere ab omni vitio pura et integra.

Sanctus Augustinus in libro de spiritu et littera, cap. ultim. «Dici potest quædam iustitia minor, huic vitæ competens, qua iustus ex fide vivit, quamvis peregrinus a Domino, et ideo per fidem ambulans, nondum per speciem; non absurde dicitur etiam ad istam pertinere, ne peccet. Neque enim si nondum esse potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ, perfectæque debetur, jam culpæ deputandum est. Aliud est enim totam nondum assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditatem. Quamobrem debet homo, quamvis longe minus amet Deum, quam eum potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum, sicut etiam in his, quæ adjacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari, quamvis non possit in fulgentissima luce defigi». Hoc loco sanctus Augustinus fatetur quidem iustitiam nostram in hac vita esse minorem, quam sit futura in alia vita, tamen disertis verbis affirmat, ad hanc etiam iustitiam nostram pertinere, ut non peccet; et posse, ac debere hominem nullam sequi cupiditatem.

Idem in libro de bono conjugali, cap. 6. «Conjugalis, inquit, concubitus generandi gratia non habet culpam; concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum conjuge propter fidem thori, venialem habet culpam; adulterium vero, sive fornicatio lethalem habet culpam». Et cap. 7. «Continentia meriti est amplioris; reddere debitum con-

jugi nullius est criminis; exigere ultra generandi necessitatem culpæ venialis, fornicari, vel mœchari, puniendi criminis». In his quatuor gradibus operum, quos distinguit Augustinus, assignare debent adversarii discrimen aliquod; vel potius necessario confiteri, in primo et secundo nullum omnino esse peccatum, neque mortale ex natura sua, neque veniale per misericordiam Dei.

Nam si continentia ab omni concubitu peccatum est mortale ex natura sua, et veniale per misericordiam Dei, quid erit concubitus gignendi causa, nisi peccatum omni ex parte mortale? et si concubitus gignendi causa peccatum est omni ex parte mortale, quid erit concubitus causa libidinis satiandæ, nisi peccatum in Spiritum sanctum, quod non remittitur, neque in hoc sæculo, neque in futuro? At S. Augustinus huic tertio gradui tribuit culpam venialem: secundo gradui nullam culpam, primo gradui meritum ingens. Tantum videlicet interest inter sententiam S. Augustini et Novatorum.

Idem denique sanctus Augustinus lib. IV. in Julianum cap. 3. et aliis in locis plurimis, contendit opera infidelium esse peccata, non quod non sint, vel esse possint bona ex genere suo, sed quoniam deest illis intentio bona dirigendi opera illa ad verum Deum, quem ignorant, cum fidem non habeant. Igitur opera fidelium ex sententia S. Augustini poterunt esse simpliciter et absolute bona. Nam si fidelium quoque opera essent omnia peccata, et quidem morte digna, quorsum tantopere laborasset Augustinus, ut probaret opera infidelium esse peccata?

S. Gregorius lib. II. Moral. cap. 8. «Si in sermonibus, inquit, suis dicimus Job deliquisse, quod sentire nefas est, Deum dicimus in sua propositione victoriam perdidisse».

Item lib. IX. cap. 26. «Ipsa, inquit, bona nostra insidiantis culpæ evadere gladium nequeunt, nisi sollicito quotidie timore muniantur». Ubi admittit S. Gregorius posse fieri, ut bona nostra insidiantis culpæ gladium vitent. Idem in epist. ad Augustinum respons. 10, «Bonarum, inquit, mentium est, ibi etiam aliquo modo culpam agnoscere, ubi culpa non est».

S. Bernardus in libro de præcepto et dispensatione distinguit inter bonum obedientiæ, et malum inobedienciæ, et ponit aliquot gradus, ut supra S. Augustinus ponebat in concubitu: «Bonus, inquit, obedientiæ gra-

duus est, si juxta Magistri nostri sententiam, propter metum gehennæ, seu propter professionem sanctam, quam professus est, quispian obediit. Melior tamen cum ex Dei amore obeditur, illa quippe obedientia necessitatis est, ista charitatis». Et infra de obedientia: «Hæc, inquit, generalis regula sit universorum, quæ per se, aut propter se nec bona, nec mala sunt, aut propria cujusque professione, aut divina institutione fixa non sunt, ut non jussa quidem, licite utrumlibet, vel admittantur, vel omittantur, jussa vero, sine culpa non negligantur, sine crimine non contemnantur. Ubique enim et culpabilis neglectus et contemptus damnabilis est».

Ubi S. Bernardus cum dicit, obedientiam ex metu gehennæ esse bonam, ex charitate meliorem, intelligit bonam simpliciter, et sine ullo peccato, etiam veniali posse præstari. Alioquin non distingueret eam ab inobediencia propter neglectum, quam dicit esse culpam venialem, et inobediencia propter contemptum, quam dicit esse criminalem, atque damnabilem.

CAPUT XVII.

Opera bona justorum non esse peccata, sed vere bona probatur rationibus.

Jam vero potest eadem veritas manifestis rationibus probari.

Prima ratio, si opera bona justorum essent omnia vitiosa, et corrupta, ita ut peccata mortalia ex natura sua dici deberent, id sine dubio, vel ex innata concupiscentia, vel ex defectu dilectionis Dei, vel ex admixtione peccatorum venialium nasceretur. Istas enim causas adversarii reddere solent, cur opera ex genere suo bona, vel a Deo mandata et bona intentione facta, tamen peccata mortalia esse contendunt. At nihil horum trium contaminare potest opera justorum bona.

Nam in primis concupiscentia ipsa peccatum non est, sed infirmitas, nisi ei consentiatur. Unde S. Augustinus in libro de perfectione justitiæ, et alibi sæpe repetit, non oportere pro motibus concupiscentiæ involuntariis dicere: *Demitte nobis debita nostra*. Deinde etiamsi peccatum esset, tamen non semper movetur, ut idem testatur Augusti-

nus lib. VI. in Julianum, cap. 8. ac per hoc opera bona fieri possunt aliquando ex charitate sine ulla admixtione cupiditatis.

Defectus autem charitatis, quod videlicet non faciamus opera nostra tanto servore dilectionis, quanto faciemus in patria, defectus quidem est, sed culpa, et peccatum non est, ut S. Augustinus docet in libro de spiritu et littera, cap. ultim. Unde etiam charitas nostra, quamvis comparata ad charitatem beatorum sit imperfecta, tamen absolute perfecta, dici potest, ut eam S. Joannes appellat, in I. epist. cap. II. et V. S. Augustinus in lib. I. de doctrina Christiana, cap. 39. lib. I. de pecc. merit. et remiss. cap. 13. et alibi.

Admixtio denique venialium peccatorum non impedit veram justitiam. Tum quia non est necesse, ut in singulis operibus admisceatur veniale peccatum, ut ex Patribus probatum est, et experientia ipsa docet. Tum etiam quia peccatum veniale non est contrarium charitati, nec proprie contra legem, sed præter legem, ut supra diximus. Itaque Scriptura divina quamvis dicat: *In multis offendimus omnes, et si dixerimus, quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus; tamen absolute vocat homines quosdam justos, sanctos, immaculatos, perfectos; quod nullo modo facere, si veniale peccatum justitiam impediret*. Gen. VI. *Noe vir justus fuit, atque perfectus*. Ephess. I. *Ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus*. Philip. III. *Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus*. Psal. CXVIII. *Beati immaculati in via, qui ambulantes in lege Domini*. Similia habet S. Augustinus in lib. II. de peccatorum meritis et remissione cap. XII. et XIII. et in lib. III. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 2.

Secunda ratio ducitur ab absurdis, nam si omnia justorum opera essent peccata, etiam opus fidei quo justificamur, esset peccatum; et illa oratio, quam fundimus, cum dicimus: *Demitte nobis debita nostra*, esset peccatum. At nonne absurdissimum est, hominem peccatum justificari, et per peccatum quærere et impetrare remissionem peccati?

Item si omnia opera justorum sunt peccata, qua fronte dicere potuit Apostolus Paulus: *Nihil mihi conscius sum?* nullum ne bonum opus fecerat? aut ignorabat, illa ipsa bona opera peccata esse mortalia? et nonne major adhuc fuisset audacia pro ejusmodi ope-

(1) Gen. VI, 9; Eph. I, 4; Phil. III, 15; Ps. CXVIII, 1.